

Dissertatio medica inauguralis de variola ... / [James M'Fie].

Contributors

M'Fie, James, 1753-1790.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1774.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bbesjc65>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

346207
DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subicit

JACOBUS M'FIE,

BRITANNUS.

Ad Id. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXIV.



317695

Avunculo suo benignissimo,

T H O M Æ A N D E R S O N,

C H I R U R G O,

Copiis Indianae Orientalis Societatis conjunctae,

In Provinciis Bengal, Baffara, et Ureffa,

Primo;

Cujus laus hic non est dicenda :

Ob multa et magna Beneficia

In femetipsum et in suos saepe collata :

Haec studiorum medicorum primitias,

Ut animi grati Testimonium,

Sacras voluit

J A C O B U S M ' F I E.

1. A. B. C. D. E. F. G. H. I. J. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. U. V. W. X. Y. Z.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS

1890

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

DISSERTATIO MEDICA

DE

VARIOLA.

DEFINITIO.

VARIOLA est, “ * Synocha contagio-
sa cum vomitu, et ex epigastrio pres-
so dolore. Tertio die incipit, et quinto fi-
nitur eruptio papularum phlegmonodearum:
Quae spatio octo dierum, in suppurationem
et in crustas demum abeunt, saepe cicatri-
ces depressas sive foveolas in cute relinquen-
tes.”

HISTORIA MORBI.

Quo tempore variola inter genus huma-
num primum apparuit, pro certo dicere
A nunc

* Cullen. Synop. p. 288.

nunc non possumus. In Graecorum Romanorumque scriptis nulla ejus mentio fit. Hincque morbi prorsus ignaros fuisse ducimus; quia, cum phaenomena ejus tam conspicua, aequae ut in fine perniciosus, minime constat quin summa cura dignus haberetur. Siquidem oculis unquam subjectus fuisset, sine dubio accurate describendo tantum iis debitum esset, quantum nosmetipsos, pro cura in historiis quorundam aliorum morborum exhibita, confitendum est. Rhazes, variolam primum descripsisse Aaron, medicum Alexandrinum, qui circa medium undecimae saeculae floruit, dicit; hincque ex Egypto natam aestimatum fuerit. Hoc attamen non affirmandum est, neque seu ex Asia, seu Africa, originem traxit morbus dicere queamus. Quocumque modo sit, nostra enim nihil refert, nomen, usque ad strages Mahomet, quum Arabes primum sese in Hispaniam exposuerunt, apud Europaeos inauditum erat. Continentem brevi pervasit, hincque cito in Britanniam Americamque tran-

transivit. Contagiosum morbus sese ostendit, vernisque temporibus, quibus acre frigus hiemale praecesserit, saepius occurrit.

1mo, Impetum plerumque facit frigore et horrore; quibus pulsus frequens, plenus, durusque; calor, fitis; capitis, dorsi, et lumborum dolor; anxietas, nausea, vomitus, dolores, epigastrio presso; in sudorem propensitas, praesertim in adultis; stupor; inter somnum subsultus, saepe etiam frequens sternutatio, fluxu rheumatis acris ex naso, tussisque titillanti, comitantibus, interdumque diarrhoea, statim subveniunt. Haec plerumque spatio unius vel bidui permanent: Finito secundo attamen, interdum citius, aliquando serius, multum exacerbantur. Hoc tempore, pulsus magis frequens fit, capitis, dorsi, et lumborum dolores, calor, et fitis augentur, anxietasque magis premit. Hisce epilepsia, plerumque eruptioni statim praecedens, saepe supervenit; et interdum adeo urget ut mori faceret.

2do, Pus-

2do, Pustulae vulgo tertio die, nulla certa hora observata, sese ostendunt. Si dies progressus sit, mitesque paroxysmi epileptici antecesserunt, eruptio saepius parvis maculis rubris, facie manibusque primum apparentibus, vixque acumen aciculorum superantibus, constat; et non etiam minime confluere videntur. Ex hac specie morbus nomine *distinctae* dignoscitur.

Diarrhoea, contra, seu feбри ardenti praecedenti, una cum eruptione matutina, species valde differt. Cutis, faciei praesertim, in multis partibus erysipelatosā videtur. Pustulaeque, in hisce etiam eruptione minus tectis, non orbiculares sunt, sed irregulares et confluere videntur. Hinc nomen *confluentis* oritur.

In *distincta*, febris aliaque comitantia, eruptione apparente, vim remittunt seu omnino abeunt. Die quinto, eruptione plerumque finita, serum effunditur. Pustulae paulatim surgunt, et tandem, formam rotundam servantes, cuti multo altiores videntur. In-

tervalla

tervalla priusquam pallida, nunc rubescunt, facies tumescit, et, ex palpebris affectis, caecitas temporaria sequitur. Materies circiter diem septimum albescens, paulatim puris laudabilis formam induit: Pustulaeque distensae, nulla fere febris comitanti, manent. Aeger quidem raro aliter quam ex caecitate, et quodam ex pustulis tumescentibus dolore, male afficitur.

In *confluente*, post eruptionem, febris remissio notatu digna raro tenet. In infantibus diarrhoea, si eruptioni non praecesserit, hoc tempore apparet; et salivatio in adultis semper comitatur, seu brevi sequitur. Effusio, quemadmodum in *distincta*, quinto die plerumque contingit. Pustulaeque, etiamsi prius distantes, nunc coeunt, et, ac si materies sit valde acris, vesiculas diversas formant. Interdum facies bene tumet, et hoc tempore pustulae, seu potius vesiculae, mediocriter distenduntur; septimo die maturatio incipit, et quo in *distincta* progressum est. Quemadmodum ab initio salivatio et diarrhoea
per-

permanent, febrisque magis seu minus ardet. In hac specie attamen effusio saepissime non bene progreditur: Pustulae flaccidae manent; seu parvum tenuis fluidi ichorosi solum continetur. Faciesque nunquam bene tumet, adeo ut saepe aegri visui ne sit impedimento. Intervalla pallent: Materies nunquam flavo, quemadmodum in altera, sed fusco colore imbuitur: Pustularumque in medio sunt nigrae maculae. Hic febris continuo magisque quam in priori, determinatione ad caput thoracemque, coma, lene delirium, dyspnoeam, anxietatem, anginamque interdum efficiente, ardet. Salivatio minus abundat, sed magis viscida, adeo ut magnum incommodi et saepe periculi faceret. Stranguria quoque hoc tempore non minus molesta est.

3tio, In *distincta*, nono die suppuratio plerumque perficitur, quo tempore pustulae obfuscarum incipiunt: Et faciei pustularumque tumores paulatim abeuntes, iis manuum pedumque cedunt. Febrem comitantem levem

uri-

urinae fluxus, seu lenis diarrhoea, spatio unius vel bidui, evanescere facit : Patiensque esurire et recuperatus videtur. In hac specie attamen tumore faciei pustularumque subito subsidenti, aliquando perculsi fumus. Symptomata lethalia, quae, quum de hoc stadio confluentis dicendum sit, describere conabimur, subveniunt.

Confluens, etiamsi effusio suppuratioque parum quoad lenitatem a distincta differre videbantur, attamen nunc permutabilis fit. Saepe facies pustulaeque, prius mediocriter distensae, simul et semel subsidunt : Visum instanter patiens recuperat ; et intervalla pallorem lethalem induunt. Hisce horror, febris aucta, anxietas, dyspnoea suffocationem minans, pulsus parvus irregularisque, subsultus tendinum, delirium, extremorum frigus, morsque ipsa, cito subveniunt. Hic attamen, fere quemadmodum in distincta quum bene evertisset, interdum progressum est.

In hisce, ubi in secundo stadio facies pustulaeque non bene tumuissent, ubi maturatio
non

non perfecta, et ubi maculae apparuissent, morbus plerumque quoddam temporis parvam mutationem subit. Circa diem undecimum, interdum etiam non usque ad quatuordecimum, incrustatio nigra evadit. Extremorum tumor faciei subsidenti non subvenit: Salivatioque visciditate augetur. Ad putredinem seipsam in maculis, dejectione urinaque sanguineis, foetoreque intolerando ostendentem, cito progreditur. Haec oppressio perstans, in universum debilitas, dentium stridor, coma, &c. quae plerumque patientis morti praecurrunt, concomitantur. Hoc tempore stranguria quoque manet. Huxham, etiam in hac pessima non raro recuperationem resurrectioni, phrasi sua uti, magis quam alii comparandam vidisse, affirmat; ubi incrustatio nigra decidisset, et non solum ad vitam redditi, sed etiam salute gavisi sunt.

Variola saepissime fit, glandularum tumores, oculorum auriumque defluxiones, tineam capitis, articulorum imbecillitatem, menseseque

que obstructos removeri, et salutem futuram meliorem stabilioremque reddi.

Reliquias attamen non semper hujusmodi esse, dolendum est. Etiam si aeger vim recuperat, non raro gratissimis hujus vitae fruendi omnino incapax redditur, propter caecitatem variis orientem, constitutionem diminutam, affectusque pulmonares, qui plerumque in phthisi confirmata terminantur. Ad ultimum quoque abscessus fiunt molesti, et ossibus aliquando caries haeret.

D I A G N O S I S .

Ut variola ullo alio morbo quam varicella confundatur, ne etiam minimum periculi videtur; et inter hasce facile distinguitur. Prior a posteriori, dolore ex epigastrio presso, febris eruptiva magis ardenti, cursuque generali, differt. Varicella quoque raro, si unquam, variola semper, contagiosa est.

B

C A U S Æ

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Primum observatu dignum, est, quod semel in vita tantum aggreditur. Hoc in ple-
risque exanthematicis, praesertim in variola,
locum habet : Itaque, uti causam praedispo-
nentem,

a. *Constitutionem nunquam morbo prius affec-
tam*, considerare non dubitamus. Corrobo-
rare, cui omnis aetas suum testimonium de-
dit, supervacaneum videtur. Multa, quae
in contrarium ducuntur, malè fundata fuif-
sent : - Et, si feliciter vivere velimus, ita
credere nos oporteat. Perpauca fortasse re-
cusare nescimus ; sed haec non multum ex
proposito detrahunt.

Ex morbo praevalenti proponendum sit,
utrumne aliquis, seminio in corpore, cu-
jus naturae adeo ignari sumus, priori mor-
bi impetu non deleta, operationi conta-
gionis rite expositus, nulla alia causa ad-
juvante, non semper infectionem hauri-
ret? Haec sine dubio saepius ; sed quod-
dam

dam praeterea aliquando necessarium esse, experientia docet. In confirmationem hujus, Dr Cullen praeclarus notabile edit. Infans, cujus parentes huic morbo violenter grassanti non obviam venturam magis solito anxii fuissent, inoculationem matutino ter quaterve irritum subiit. Conatu frustrato, parentum sollicitudo indies crescebat, qui statim ultimum tentarunt, quod pauci minus audaces unquam fecissent. Puerum in cunabula impositum, unde variolosus brevi antea surreptus fuit, et jam affatim variolae effluvia exspirantia, co-operuerunt. Nullo morbo apparente, infectionem nunquam capturum, et non sine ratione, putarunt: Nihilominus, paucis annis praeteritis, variola naturalis eum occupavit. Multa alia, etiamsi fortasse minora, in confirmationem hujus deduci possunt. Causae igitur aliae, quae constitutionem contagioni suscipiendae magis aptam reddant, nobis excogitanda sunt: Et, inter haec,

b. *Juven-*

b. *Juventutem* consideramus. Variola nunc adeo generaliter inflammatoria censetur, ut ex ratiocinando solum juventutem, plethoram illam vimque dando, et ad formandum servandumque spasmus inflammatorium magis aptas, corpus quo facilius morbum suscipiat reddere, ducendum est. Experientia observatioque hoc corroborare videntur. Ex supra commemorato, huic conjuncto, quod saepius in infantes artem suam frustra inoculatores exercent, certe, aliquid infantili constitutioni contagioni resistens inesse, conjiciendum est. Quibus hoc pendet, affirmare mihi non licet. Sint multa fortasse acumini nostro non subiecta; sed hoc observatu facillimum est, nempe, quod ad phlogisticam diathesin matutino tempore parvum disponitur. Quam multum vita declinans nos minus aptos contagionem haurire reddat, dicere non audeo; sed, hoc tempore, diathesi inflammatoria minus praevalenti, variolam non frequentem futuram verisimile est: Et, si ita res sese habet, juvenus certe sub hoc capite jure censetur.

c. *Hie-*

c. *Hiemalia vernaque frigora.*—Historia morbi, versus finem horum temporum magis praevalere ostendens, me quare mentionem hic loci fecissem satis vindicat. *Quemadmodum* juvenus explicantur, et observatione non indignum sit sese invicem corroborare.

d. *Omnes affectus debilitantes.* Quam multum hi omni feбри contagiosae favent, bene notum est, modusque operandi plane apparet. Ad hoc caput omnem in nonnaturalibus errorem, ut in vino, venere, &c. peccatum refero.

CAUSA OCCASIONALIS

Contagio est. Variolane unquam sine ea produci potest? Bona ex morbo saepius ad constitutionem orientia, universalitasque ejus, naturam pro salute sua necessarium invenisse, et absque contagione seminum in corpore interdum eo pervenire, ut morbo originem

riginem daret, existimare fecerunt. Dominus Broomfield, in libello paucis annis antea edito, hanc rem asserere videtur *. “ ’Tis certain,” inquit ille, “ that apprehension and surprize will raise that ferment in the blood which is necessary to produce the small-pox ; and this, too, much more suddenly than where we know the variolous matter is inserted into the system ; for that seldom appears before seven or eight days after inoculation, yet surprize is capable of producing it in a very few hours.” Duorum quae in confirmationem hujus adducit, sequenti maxime confidet. “ A lady,” suis verbis uti, “ who had not had the small-pox, going to see a friend in Windsor-Forest, stopped her chariot at the door, and was just going to alight ; but was prevented by the lady of the house, who told her she would not then ask her to go in, as her husband was ill of a fever, which they apprehended would turn out the
small-

* Thoughts arising from experience, p. 41. and 42.

small-pox. She immediately went home, was taken ill, had the small-pox, and died. Now, here could be no variolous effluvia, as the gentleman soon got well, and had not the small-pox at that time." Si huic animum intendamus, quam absurdum fit facile apparebit. Dominam quodammodo antea ei obviam venisse, etiamsi huc non perventum, contagionem in aëre sese longius diffuisse putare, rationi non inconstaneum est. Ab aliquo fortasse qui nuper amicum morbo laborantem visitabat, et illam nunquam variolam habuisse minime certior fiebat, accepisset: Seu medicus ei communicasset. Quomodocunque res sese habeat, ex historia, ubi apparet, ut antea demonstratum, in Europam contagione pervenisse, opinionem jure rejicimus. Apud majores, quibus certe feminium erat, et saepe causis hisce occasionalibus obviam venissent, morbum non praevalluisse, praesertim si, secundum Broomfield, natura ex eo aliquid boni voluisset, non conjiciendum est. Statim igitur ad

CAUSAM

CAUSAM PROXIMAM

Progredimur. Materies variolosa primum in fluida nostra, quorum tenuiora in naturam suam fermentationis potestate mutantur, solum vim habere videtur. Systema nervosum tandem afficitur; hincque symptomata morbi prima oriuntur.

RATIO SYMPTOMATUM.

In omni morbo, phaenomena ejus explicare difficillimum erit. Naturae plerumque operationes tam exquisitae sunt, ut in earum causas inquisitio, callidissimi etiam observatoris, parum fausta sit. Hanc partem igitur diffidens suscipio, et, secundum morem, quaedam symptomata in morbi historia nobis occurrentia, quo possum, explicabo.

Dolor ex epigastrio presso, in variola tam praevalens, ex materie morbifica hic magis collecta oriri dicitur: Et hinc quidem emetica hoc tempore exhibita morbi progressui

im-

impedimento futura putarunt. Causa proxima considerata, hoc non sequitur: Nihilominus ad stomachum determinationem supponere, symptomati nostro favet, et sine dubio facile demonstratu erit. In omni febre, et praesertim ubi causa occasionalis contagio est, sympathia inter cutem et hoc viscus notabilis observatur. E. g. in typho, non citius in superficiem spasmus formatur, quam anorexia, nausea, vomitusque subveniunt: Et, ex debilitate hic majori quam in aliis partibus, materiem magis collectam conjiciendum est. Idem quoque de hisce febribus vulgo nomine malignarum cognitis, et ubi eadem ipsa phaenomena inveniuntur, dicendum sit. Hoc concessio, facile applicatur, similisque ratio symptoma explicabit.

Epilepsia pueris plerumque accidit, et ex stimulo variolosae materiei violenti explicatur. Si mitis, eruptionem facilitare vulgo aestimata fuerit. Ex historia morbi plerumque distinctae praecedit; sed, me nescire quo-

modo morbum sequentem afficit, confiteor.

Eruptione in facie manibusque primum apparent, pustulisque ibi magis confertis. Quidam hoc, dicendo cutem, vi aëris externi expositam, certa quadam natura indutam esse, quae, in systematis nixu, materiei stagnationem citius efficit, explicare conarentur: Primoque intuitu hoc ita satisfacere videtur, ut alia explicatione non egeat; sed, quum morbi phaenomenon tam conspicuum, nempe tumor hisce partibus in morbi progressu subveniens, observationi subjiciatur, naturam sapienter, etiam tam matutino, hanc determinationem efficere, ducendum est.

Sudores. Hi in distincta plerumque inveniuntur, et ex parte materiei variolosae per cutem transeuntis oriuntur. Explicatio hujus adeo facilis est, ut mentio non fieret, nisi eam

Salivationis in adultis, puerisque diarrhoeae, faciliorem reddidisset. Hasce simul eodem modo explicandas pono.

Stadio morbi quo plerumque apparent,
quod,

quod, ut supra commemoratum, prima eruptione accidit, considerato: Huicque ratione habita, quod in confluenti, ubi sudores absunt, saepissime occurrunt; naturam, inflammatione cutis fere universali, egressu carissimo orbatam, evacuationem materiei noxiae ad emunctoria alia maxime convenientia determinare, ducere coacti sumus. Hincque quam sapienter agat, in organo secundum aegri aetatem mutando, occasio praeclara observandi nobis sese offert. Si glandulae salivares, in adultis evacuationi aptissimae, vitam matutina afficerentur, ex salivae visciditate in statu, maximum incommodi et periculi oriretur: Et pueri eam ejiciendi minus capaces, suffocationi frequentissime subicerentur. Contra, evacuatio intestinalis moderata, et cum salute et etiam commodo fieri potest. Aequè benigne sapienterque, sine dubio, in operationibus oculis non subjectis natura sese gerit.

Tumor faciei et extremorum regularis,
nunc venit considerandus, causaque optanda; sed fortasse nos semper latebit. Si ulli,
morbi

morbi prorsus ignaro, aegri multi ad variolae statum progredientes exhibeantur, statim hoc symptoma in univcrsum tenens, uti naturae conamen morbum ejicere confideraret. Historia morbi vim huic addit, ut, ex tumore nimium tarde progredienti, vel cito sese retrahenti, mala fequi bene novimus; fed ulterius non progrediendum est: Neque aliquis, quoad memini, quare hisce partibus hoc eveniat, seu regulariter succedat, rationem dare conatus est. Sapientiam illam igitur nobis minime intellectam, tacite admirari oportet.

Febris secundaria explicatu facilius est, et pure in systema absorpto pendet. Quod ab eodem in multis aliis efficitur praesenti adeo simile est, ut probari non opus sit. Idem de hisce, quae faciei pustularumque tumoris subitum regressum subsequuntur, dici potest.

Huc usque perpauca multorum in hoc morbo occurrentium explicare conatus sum. Hanc partem imperfectam esse, me non fallit.

lit.

lit. Multa alia curiosis scrutanda sunt; et fortasse, si tractatum magis auctum non invenissem quam providus fui, hic non defecissem. Sed, quoniam res ita sese habuit, hanc coronet, quae fortasse potius incepisset, nempe, in causas quae morbi naturam statuunt scrutatio: Et,

Imo, Ex *Constitutione patientis* variola diversa fit, quae rursus vel *aetate* vel *salute* differt.

a. *Ætate*. Hac morbum non parum pendere experientia docet. In adultis, variolam magis confluentem esse quam in pueris, quod supra commemoratum satis demonstrabit, et nunc pluribus verbis non opus est. Etiam si, quoad *aetatem* nihilo, attamen

b. *Salutem*, constitutio diversa fit. Quam multi sint morbi qui variolam diversificare aestimati fuerunt, indicare difficile esset. Eos sufficiat dicere, cutem potissimum afficientes, veluti scabiem, lepram, &c. ut necesse sit, quum materiem stagnare facilius admittunt, (omnibus aliis, exorientibus acrimonia sua contagioni juncta, omissis), ad confluentem

fluentem magnum valere. Scrophulam hic potentissimam esse, aestimatum fuit: Nunc attamen, ex ea varietatem morbi minus pendere, quam ex ratione expectandum esset, videretur; sed sine dubio ad confluentem producendam magis seu minus valet. Quam multum morbi in solida potestatem habentes valeant, ex quod antea dictum fuit, facile apparebit.

2do, *Materiei diversitas.* Variola mitissima saepe ex contagione maxime virulenti orta, et vice versa, una cum eadem materie in diversos diversimode agenti, quosdam hoc nuper nihili pendere fecerunt. Sed hoc nimium progredi videtur: Etiam si enim constitutionem materiem efficere concessum sit; attamen, caeteris paribus, ex diversa contagione morbum sequentem varia forma indutum esse, jure conjiciendum est. Hic ad pestem, ubi quum primum apparuisset, magis subito et certo lethalis fit, referre possumus. Hoc plerumque cuidam viro majori, ex contagione quoddam temporis in fomite contenta, ascribitur. Si igitur pestis hac ratione ma-
gis

gis faeviat, certe in variola plus seu minus valeat. Praeter hoc, argumentum validius nobis praebet novus inoculandi modus.

Dum eventus mirum felix, qui ex arte Suttoniana oriebatur, virtuti pulveris pilularumve a quibusdam datus erat, perpauci hoc contemnere, causamque rationi magis consentaneam quaerere, noverunt. Inter hosce, Dominum Chandler primum statuo; et publicum, ob tractatum utilissimum, ingenii praxisque suae fructus exhibentem, candore generositateque laudanda, ei magnas grates debere censeo. Occasione ei frequenter oblata, morbum in omni stadio, ut co-operatore Domini Sutton tractatum, observare, et quum arcanum expromere valde anxius fuisset, inquit: Re secum frequenter reputata, tandem in mentem venisse, quod ei maximi videbatur, et periculum fecit. Ex multis, infectionem variolosam, pellicula brachii inoculati antea eruptionem excerptam, morbum huic ab arcano Suttoniano tractato omnino similem producere, invenit. Immo etiam, post
quaedam

quaedam commoda, methodo Suttoni orientia, recensita, dicere progreditur; “ But* the material point, and that on which his great success principally depends, is, the taking the infecting humour, in a crude state, before it has been, if I may use the expression, ultimately variolated by the succeeding fever.” Et illustris Dimsdale libellum suum utilissimum perelegansque de inoculatione ad finem perducit hinc: “ Should † it be asked, then, to what particular circumstance the success is owing? I can only answer, that, although the whole process may have some share in it, in my opinion, it consists chiefly in the method of inoculating with recent fluid matter, and the management of the patient at the time of the eruption.” Opinio tam veneranda, hac re magis pendere quam vulgo nunc conceditur, satis evincet: Et nos cavere, quo minus suppositum rationi consentaneum rejiciamus, docebit.

3tio, Con-

* Chandler on inoculation, p. 37.

† Dimsdale on inoculation, p. 82. and 83.

3tio, *Contagionis in systema ingredientis modus.* Hoc prius maxime aestimatum fuit; sed nuper parvi habetur: Attamen morbum non solum hac re quodammodo mutationem subire, sed eventum inoculationis felicem ea magnum pendere, conjicio. Dr Cullen aliquid edit, quod, si non fallor, huic vim addere videtur: Nempe variola epidemica in Greenock et Port-Glasgow regnante, mortalitatem adeo praevaluisse, ut vix quidem decimus morbo naturali superstiterit. Hoc populum ad inoculationem statim recurrere coegit: Et, ex ducentis qui ita morbum habuerunt, vix unus obiit. Anne fructum bonum inoculationis una, omnibusve aliis causis vulgo datis, exortum esse, conjiciendum est? Certe non. Hic patientes discernere non tempus erat; eadem aëris temporisque et inoculatis, et non, obviam fuissent, et quoad praeparationem nihil interfecisse, verisimile est: Etenim parentes, pueros quoddam temporis ante variolam tenui diaeta victitare oportere, tam bene novisse, conjicio, ut non citius

appareat, quam regimen antiphlogisticum, purgatione aliquando adjutum, incipiunt. Perpauci sunt, quibus inoculationem videndi, ubi variola epidemica regnabat, occasio unquam oblata fuisset, quin hoc observassent. Hoc explicare nescire confiteor; veritati consentaneum esse dicere sufficit.

4to, *Caloris frigorisque externi gradus.* Calor ingens, ad superficiem eruptionis tempore valde adducendo, certe ad confluentem confert. Frigus contra, determinationem minuendo, quo major pars materiei perspiratione evadat, ad distinctam conducit.

P R O G N O S I S.

In morbo tam saepius mutationem admodum miram subeunti, nulla prognosis, qua multum pendet, dari potest. Nihilominus, conandum est: Itaque pueritia praesenti, epilepsia miti secundo die apparenti, eruptione tarda et distincta, pustulis bene tumens-

tibus,

tibus, rotundam formam floridaque interval-
la fervantibus, salivatione seu diarrhoea, effu-
sione, maturatione, et faciei extremorumque
tumore, justis temporibus subeuntibus, qua-
dam fide sperandum esse, conjicio.

Contra, feбри eruptiva ardenti, tensisque
fibris aliquem invadenti, pustulis matutinis
et confluentibus, non bene tumentibus, sed
flaccidis, materiemque in pus laudabile non
convertendam continentibus, determinatione
ad caput thoracemque, petechiis aliisque pu-
tredi diathesios signis in secundo morbi sta-
dio, et faciei extremorumque tumore non
bene progredienti, vel subito seipsum retra-
henti, spes recuperationis fere jam perit.

METHODUS MEDENDI

In variis morbi stadiis necessario differt.

In primo stadio, indicationes praecipuae
videntur,

Imo, Fe-

1mo, Febrem ardentem moderare, eruptionem faciliorem reddere, numerumque pustularum minuire: Et,

2do, Epilepsiam violentem auferre.

Primae maxime convenit,

a. *Regimen antiphlogisticum.*

b. *Venaesectio.* Prius hanc eruptionem nocere opinio praevaluit; sed contrarium experientia arguit, et huic indicationi maximo usui fuisse ostendit. Vim systematis sanguiferi minuendo, spasmum resolvendo, et igitur plus materiei variolosae transire perspiratione permittendo, agit.

c. *Emetica*, quae ex vi antispasmodica usui sunt. Determinationi ad stomachum etiam subsidio veniunt.

d. *Cathartica.* Medicinae, ut omnia alia, temporum revolutioni subjiciuntur. Una nunc fortasse in morbo medendo magni habetur; sed, paucis annis elapsis, omnino despicitur: Et vice versa. Hoc non magis quam in catharticis, considerationi nunc subjectis, tenet. Clarissimi prioris, plerique hujus aetatis,

tatis, ea in hoc stadio maximo periculo esse considerarunt, et, omni eruptioni moram facienti injurioso considerato, horum usum metuerunt. Attamen hanc sententiam, quae perniciiei millibus fortasse fuisset, dolendam esse, experientia nunc docuit. Quidam medici clari eruptionem quam sero reddere obtinentur : Hocque non solum salutiferum, sed etiam maxime commodum inveniunt. In hac via nil majoris cathartici habetur. Doctori Dimsdale hoc magnum debetur. Commoda ex libero usu horum in hoc stadio inoculatis redeuntia, eum periculum in naturali facere, induxerunt : Et, in quibusdam * nobis exhibitis, eum maxime feliciter adhibuisse videmus. Non citius aliquis violentis eruptionis signis laborat, quam statim calomel largiter, minimae tart. emet. conjunctum, exhibetur. Commoda, quae ex parte antimoniae tam parva oriuntur, conjicere non possum : Et quidem, ut nihil aliud,

* Dimsdale on inoculation, cas. xxv. xxvi. xxvii. and xxix.

aliud, ni fallor, ex mercurio praeter vim catharticam expectetur, operationeque tarda saepius seipsum frustratum invenit, fortasse primum ad catharticum citius agens recurrere, quod saepius eum postea facere oportet, satius futurum esset. Quicumque hujus rei melius certior fieret, indicata inspiciat.

e. *Frigoris applicatio.* Illustris Sydenhamus primus videtur, qui via trita, in omni feбри aegros calidissimos servandi, discedere audebat. Hos libere frigidas auras carpere, lectumque non nisi post eruptionem servare, jussit. Quod feliciter ei evertisset, originem suam traxisse hodierna praxis videtur, quod fortasse medicinae hodie est maximus profectus. Primo intuitu, vis sedativa, sed non merito, timenda est; sanguiferi enim systematis, in omni feברי, vis aucta videtur, magisque apte frigori opponitur. Potestati caloris generanti, et determinationi ad superficiem nimium cito progredienti, obviam eundo, bona ejus oriri videntur. Quomocumque res sese habeat, medicos maxime honorandos

norandos ad liberum usum hoc stadio vario-
lae obnixè ad hortantes videmus. Hic rursus
Doctori Dimsdale magnum debetur, qui, mo-
dum Suttonis sequens, omni opinione adversa
etiam vetustissima superata, viam humano
generi salutiferam ostendit. Ægrum foras
exire, etiamsi frigidum inclemensque sit
tempus, et quantumvis minime æqualis huic
videatur, jubet. Huic mercurius ne etiam
obstaculo sit : Neque domum servare hoc
tempore, si symptomata acerba sunt, permis-
sum erit. Ægro primum hoc valde ingra-
tum est, et non quin summo dolore sufferre
potest : Lumborum ingens dolor pedibus
erectis stare non finit, novumque excrucia-
tum ex omni motu sentit. Nihilominus, ca-
pitis dolor, calor, sitisque ardens, brevi suble-
vantur, et cito beneficii adeo est, ut sua spon-
te foras exiret. Doctor quoque

Aquae frigidae, magis quam in hoc sta-
dio naturalis unquam fiebat, indulgere vide-
tur. Ubi patienti permissum fuit, haustu
frigidissimae pilulam mercurialem deglutire,
quae-

quaedam nobis oblata sunt : Et nihil mali unquam accidisset ; e contrario, omnes aegri multum sublevati fuerunt.

Secundae indicationi, in stadio primo, epilepsiam violentem auferre, convenit

a. *Venaesectio*. Haec saepius usui fuisset ; sed, ut epilepsia frequenter infantibus, qui hanc evacuationem non bene sustentant, raro eo quo volumus perventum est.

b. *Vesicatoria* magnum et sine dubio merito, celebrata fuerunt ; sed virtus tam mutatio quam optandum fit, seu saepius necessarium est, raro procuratur.

c. *Anodyna* nuper in usum, et feliciter, venissent ; et certo, si virtus sedativa, stimulo abjecto, procurari potest, nulli alii fides magis debetur. Largius quam vulgo exhibenda sunt.

d. *Balneum tepidum* quoque saepius magno usui fuisset, et superficiem laxando agget.

In secundo stadio, si prius satis observatum fuisset, auxilio fortasse minime opus erit, ut

unum

unum alteri in multis semper respondebit ; sed ut medico patientem curare usque dum eruptio perfecta fuisset, seu saltem apparuisset, occasio raro sese offeret, cui minime praevenire potuit, huic mederi eum conari oporteat. Hac consideratione praecipua videntur,

1mo, Febrem praesentem removeere seu mitigare :

2do, Effusionem suppurationemque promovere :

3tio, Salivam provehere :

4to, Putredini obviam vire : Et,

5to, Symptomata comitantia moderare seu removeere. De singulis in ordine.

Primae indicationi, febrem praesentem removeere seu mitigare, regimen antiphlogisticum, aliaque remedia in hac indicatione prioris stadii enumerata, optime conveniunt. Hic nuper ex usu horum, praesertim aëris et aquae frigidae, et cathartorum, tam mira et praeter spem evenissent, ut, si hisce medicus clarus tam brevi commemoratus, aliique

E

fidem

fidem non fecissent, contra fidem fuisse putare-
 mus. Hoc tempore aegrum quemadmodum
 ante eruptionem tractat, quam feliciter ex
 suis verbis de hac re facile apparebit: “I*
 am of opinion, that the eruption is not only
 retarded and protracted by this method, but
 likewise that it is in some degree repressed,
 having had strong reason to apprehend, in se-
 veral instances, that the number of pustules
 was actually diminished, and those that re-
 mained seemed larger, and of a milder
 kind.” Aliquid magis notabile nobis a Do-
 mino Broomfield † exhibitur; ubi eruptio
 maxime confluens, catharticis largiter, venae-
 sectione, frigidoque aëre usis, trium quatuor-
 ve dierum spatio retrocessit. Postea variola
 mitissima, in variis stadiis sine periculo pro-
 grediens, sese ostendit, aegerque brevi re-
 cuperatus saluti integra gaudebat. Tam
 multa beneficia ex hac methodo nova corro-
 borantia, omni medico, ut eam amplectatur,
 sat erunt argumento.

Secun-

* Dimsdale on inoculation.

† Broomfield's thoughts, &c. p. 20.

Secundae indicationi, effusionem suppurationemque promovere, si febris typhodes fit, pulsus parvus debilisque, aliaque debilitatis signa adsint, sequentia praecipue respondent :

a. *Cortex Peruvianus.* Hujus utilitas vi tonica pendet, qua systema morbificam materiem ejicere magis aptum redditur.

b. *Vinum,* quod magno usui est, eodemque quo cortex valet.

c. *Vesicatoria.* Haec saepius profuissent, virtutem suam systema stimulando, et fortasse antispasmodicam vim exhibendo, ostendunt.

d. *Tartar emet.* Doctor Cullen, circiter diem sextum, pustulis non bene tumescitibus flaccidisque, ex dosi hujus parva exhibita, plerumque ad finem vomitum efficienti, saepe ei optimum evertisse, dicit : Effusionem suppurationemque multo melius progressam, aliaque concomitantia sublevata fuisse. Vim suam, ad superficiem maxime determinando, ostendit.

Contra,

Contra, feбри adhuc ardenti, colore siti-
que ingenti, et pulsu pleno duroque, nullum
medicamentum huic indicationi magis ido-
neum esse quam

e. *Cathartica*, experientia docet. Ill.
Dimisdale ea tres seu quatuor evacuationes
quotidie producere, usquedum maturatio pro-
grediatur, feliciter administrat. Tunc tem-
poris usum omnino prohibet.

Tertiae indicationi, salivam provehere, re-
spondent,

a. *Gargarismi vaporque calidus emolians*,
qui vim, glandulas salivares laxando leniter-
que stimulando, ostendunt.

b. *Emetica lenia*.

Quartae indicationi, putredini obviam ire,
maxime conveniunt,

a. *Cortex vinumque*.

b. *Acida*.

c. *Saluber frigidusque aër*. Multi frigus
in hoc stadio, ut suppurationi praeveniat,
valde injuriosum putarunt: Sed, feбри prae-
valenti, hoc minime timendum est. Quam
multum,

multum, febris absenti, suppurationi fit impedimento dicere non audeam: Attamen, in hac indicatione, quam multum convenit, vi caloris obviam eundo, virtute tonica, et accumulationi materiei excretoriae praeveniendo, clare constat. Vestes et corporis et lecti frequentissime mutandae sunt.

Postremam hujus stadii indicationem, symptomata concomitantia remove seu moderare, in duas dividere possumus.

1mo, Dolorem et inquietem remove, quod *anodynis* optime fit: Et,

2do, Stranguriam, aegrum ad genua urinam facientem sublevando.

In tertio stadio indicationes sunt,

1mo, Febri secundariae praevenire seu mitigare.

2do, Determinationi internaee topicae praevenire, tumoremque extremorum promovere seu recuperare:

3tio, Putredini obviam ire, et addere vim vitae: Et,

4to, Malis morbo orientibus praevenire.

Primae

Primae indicationi, feбри secundariae praevēnīre seu mitigare, conveniunt,

Remedia omnia antea eruptionem usa.

Secundae indicationi, determinationi internae topicae praevēnīre, &c. optime respondent,

a. *Vesicatoria.*

b. *Fomentationes et cataplasmata extremis applicata.*

Tertiae indicationi, putredini obviam iri, &c. maxime conveniunt hae medicinae quae in quarta stadii secundi exhibentur.

Quartae indicationi, malis morbo orientibus praevēnīre, respondebunt,

a. *Cathartica.* Hisce, nisi quum morbus putridus confluentisque fuisset, minime opus erit: Attamen indulgere parentibus uti parciter permissum sit.

b. *Cortex et vinum.* Ubi morbus diu perdurasset, aegerque multum succubuisset, quibusdam medicamentis vim tonicam ostendentibus utendum sit; quorum nullum hisce commemoratis comparari debet.

c. *Exer-*

c. *Exercitatio coelique mutatio.*

d. *Regimen antiphlogisticum.*

—Hic animus gratus adhuc paululum hoc opusculum proriget. Tractatus hujusmodi exhibitus in publicum proferre capacitatem artem exercendi, quae omnium maxime ad genus humanum respicit, certe non etiam minimum injuriae gratitudini satisfaciendo accipiat, quae, si ex opprobrio ingratis jure illato conjicere liceret, non satis colenda est. Hoc igitur confisus, generoso Patricio Douglas chyrurgo Ayr, ob multa mihi immerita saepe collata, publice grates referre liceat. Primus quaecunque de arte medicinali novi exposuit: Consilium studiis incumbenti nunquam abfuit: Curaque ea faciliora reddidit. Necnon urbano Doctore Hope, botanices in hac alma academia Professore jure aestimato, ex imo corde gratiam habere volo. Benignitas ejus erga me fuit magna: Eo suaviter hortanti, haec dubia, quae alicui primum periculum facturo plerumque adsunt molesta, eva-

evanuerunt: Admonituque ejus ad residuum metu non tam magno prospexi. Sed debita uni alterive enumerare, quare conar? Vanum erit! Horum semper meminisse juvabit.—

Et nunc ad finem perduco dicendo, si aliquid observatu lectoris dignum apparuit, aut si aliquid tractatui debetur; hoc ex Professoribus in hac alma academia maxime praeclaris didici. Culpaе imperfectionesque ad meipsum pertinent.

F I N I S .